

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Hic explorent se illi, qui mercedem merentur, annon & ipsi interdum aequitatis lineas transfuerint, aut aliis fortunas suas inviderint?

Hoc nimis familiare est, in hac mundi fece, ut illi experiuntur, qui ad operas rusticas aliorum servitio indigent. Ubi servi & mercenarii tantam saepe mercedem requirunt, ut tartaream eorum ingluviem implere vix possis. Adde, quod cibo & potu non satis opipare tractari, nec verbis satis blandè compellari possint. Hoc saepe dolorem injicit piis Patribus-familiis, & tamen operà eorum carere non possunt, cum interea multa aculeata verba digerere teneantur, subinde à talibus, quos non digneris ponere cum canibus gregis, Hiob. 30. v. 1. Imò esse oportet, tanquam surdum, qui non audit, & sicut mutum, qui non aperit os suum. Et sicut homo, qui non audit, & quasi non habet in ore suo redargutiones. Psalm. 38. v. 15. 16. Ea enim jam atas adest, ubi puer superbit contra senem, & homo inhonorabilis contra virum gravem. Esa. 3. v. 5. Sed veniet aliquando tempus, ubi Dominus servum ejusmodi nequam dividet, Luc. 12. vers. 46. & unusquisque quod fecerit, à Domino recipiet, sive servus sit, sive liber. Eph. 6. v. 8.

Sic *invidiam* quod attinet, ea tam familiaris est hoc tempore, ut civitatem, pagum, imò domum nullam ab ea immunem reperias. Sed vitium est *turpissimum* & *nocentissimum*. *Turpissimum*, quia ab ipso tartaro à Dæmonibus exulare videtur, juxta Chrysostrum: *Invidet Damon, sed hominibus, non Dæmoni: tu verò cum homo sis, invides hominibus, & quomodo veniam conse-*

queris? Nocentissimum verò, quia ipsi incommodat auctori. Unde iterum Chrysostrum: *Melius est, in corde habere viperam, quàm invidiam*. Viperam enim corpus modò veneno inficit: invidia verò opus carnis est, præcipitans & animam & corpus in gehennam. Galat. 5. vers. 18. seqq.

De Secundo.

Progrediemur nunc ad alteram partem, *Ἐπίτομὸς τῆς ζωῆς, sive notitiam Christi* contemplaturi. Hic nobis proponitur

I. *Tanquam celestis oeconomus*, qui non modò domum Universi hujus in esse suo conservat, dans omnibus vitam & inspirationem, Act. 17. v. 25. & aperiens manum suam, implens omne animal beneplacito, Psalm. 145. v. 10. sed etiam domum spiritualem ecclesiæ Pastoribus & Doctoribus instruit Eph. 4. v. 11. & verbo & sacramentis animas gratiæ cupidas nutrit, ne desiccant in via, Marc. c. 8. vers. 3. dans lapsis virtutem, & robur multiplicans, Eph. 40. v. 29. ut dignè Evangelio Christi illi conversentur, Phil. 1. vers. 27. donec tandem, sine obtento, ambulent coram Domino in regione vivorum. Psalm. 116. v. 9.

Chrysostrum scribit, idèò vocari Christum oeconomum, quia tres familias sustentat. *Triumphantem in caelis, propter gloriam, trepidantem in inferno propter iram, & militantem in terris per gratiam.*

Hoc nobis *consolationi* esse debet. Tempora subinde sunt misera, res familiaris

diffi-

difficilis & alimenta deficiunt, ut dicere possis: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Matth. 6. vers. 31. Sed Ethnicis hanc diffidentiam relinquere debemus. Nos opulentum Patrem-familias habemus, qui neque dormitat, neque dormit, Psal. 121. v. 4. ipse pro nobis vigilat, *Er hütet und wacht / es steht alles in seiner Macht.* Hujus salutare in silentio præstolabimur, Thren. 3. vers. 26. non derelinquet ille justum, Psal. 37. v. 25. sed in diebus famis saturabit eum, vers. 19.

Cum nostris enim curis nihil omnino efficere valemus. Vanum est vobis, ante lucem surgere, Psal. 127. vers. 2. Ora igitur & labora, ipse faciet. Psal. 37. v. 5.

II. *Tanquam vinea Dominus.* De Patrefamilias hic dicitur, quod summo mane egressus fuerit ad conducendum operarios in vineam suam. Per hanc vineam nihil aliud intelligitur, quam *Ecclesia*, quæ *vineæ* comparatur.

1. *Ratione figura.* Vineæ exterius nullum habet splendorem, ignarus vix crederet, tam suavem ibi liquorem delitescere: lignum quoque aded infirmum est, ut de eo non paxillus fabricari possit. Ezech. 15. v. 3. Sic Ecclesia in his terris est populus pauper & egenus, Soph. 3. v. 12. Lampas contemta, apud cogitationes divitum, Job. 12. v. 5. omnium peripsema, 1. Cor. 4. vers. 13. Hinc quoque ovili comparatur, Joh. 10. v. 1. turgurio in cucumerario. Esa. 1. v. 8. trunco quercus Esa. 6. v. 13.

2. *Ratione cura.* Vineæ soli exposita esse debet, si maturos & gratos botros illa justo tempore proferre debeat: Sic Ecclesia & membra ejus Christum respiciant oportet,

qui est sol justitiæ, Mal. 4. v. 2. illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Joh. 1. v. 9.

Vinea conspici, stercorari & pastinari debet. Sic Deus ecclesiam suam verbo suo sepsit, sanguine filii irrigavit, & cetera spiritualem vineam pastino legis pastinat, ne spinæ voluptatum radices in ea agere possint.

Vinearicinis & pedamentis fulcienda est, quod uva se erigere, & à sole irradiari possint: Sic Ecclesia à Christo velut capite pendet, Eph. 5. v. 23. Spiritus Sanctus vinculum est, Eph. 4. v. 3. Imber, quo vinea hæc irrigatur, est verbum Dei, Esa. 55. v. 10. Hanc vineam Deus sanguine sibi suo acquisivit, Act. 20. v. 2. ut jam peculium ejus sit, Tit. 2. v. 14. eamque sibi multò minus patietur eripi, quam olim Naboth, 1. Reg. 21. v. 3. Sap. 3. v. 19.

Oter quaterque felices nos, qui tanto patrono gaudemus, qui tam exactam vineæ suæ curam gerit. Quapropter animum abjicere minus debemus, si quandoque omnem ecclesiæ curam abjecisse, ejusque oblitus esse, videatur, Esa. 49. v. 14. Ipse novit, quid vineæ conveniat: Dominus est omnipotens & terribilis omnibus, quando de cælo auditum facit judicium, Psal. 76. v. 9. quidni vineam suam defendere possit? Ipse dicit: Vineæ mea coram me est, Cant. 8. v. 12. q. d. defendam eam, ne portæ inferorum prævaleant, adversus eam. Matth. 16. v. 18.

Quando itaque videmus, vulpes astu, vel apros violentiâ, h. e. hæreticos falsâ doctrinâ & Tyrannos persecutionibus hanc vineam infestare, eandem devastaturi: suspiremus modò ad hunc Dominum, ex Psal. 80. v. 15. Tum ipse responsurus est ex Esa.

Esa.

Esa. 27. v. 2. ipse est fulcrum ecclesiae suae,
Esa. 25. v. 10.

Holofernes oppidum Bethuliae arctè
quidem obsidebat, at occupare non poterat,
ipsam ibi vitam profundens. Judith. 13.
v. 10. sic ecclesia quidem pusillus est grex,
qui à Diabolo ejusque membris undique
vehementer oppugnatur: sed expugnari
nunquam poterit, quia Dominus firma-
mentum ejus est, Psalm. 18. v. 3. propterea
non timebimus, quid facient nobis homi-
nes? Psalm. 118. v. 6. Esa. 8. v. 9.

III. *Tanquam remunerator gratuitus.*
Etsi enim nihil omnino meremur, Luc. 17.
v. 10. attamen idem ille, qui secundum pec-
cata nostra nobis non facit, neque secun-
dum iniquitates nostras retribuit nobis,
& quomodo pater miseretur filiorum, Pf.
103. v. 13. ex gratia opera nostra bona remun-
neraturus est. Iccirco audimus in Evangelio
hoc, quod Pater familiàs ad procuratorem
ait: Voca operarios & redde illis mercedem,
incipiens à novissimis, usque ad primi-
mos. Ex quo satis apparet, mercedem hanc
distributam non esse, ad meritorum pro-
portionem: secus enim, qui totum diem
laboraverant, & diei pondus & æstus por-
taverant, plus accipere debuissent, quàm
qui circa undecimam horam conducti
erant.

*Nil valet nisi gratia,
tunc debita retributio
Sunt facta nostra peccata
in sanctitate virtutis
te coram deo gloria
Sed unctis, mente
Favore tuo standum.*

*Nil hic valet quàm gratia,
Peccata condonari:
Nam nostra sordent crimina
Optimo conari.
Nil yana gloriatio,
Sed pona condonatio,
Quàm nos amat dignari.*

Alhie gilt nichts denn Gnad un Gunst/
Die Sünde zu vergeben:
Es ist mit unserm Thun umbsonst/
Auch in dem besten Leben.
Vor Gott niem and sich rühmen kan/
Des muß sich fürchten jederman/
Und seiner Gnade leben.

Ex gratia nos ad imaginem suam crea-
vit, Gen. 1. v. 27. Ex gratia nobis filium suum
donavit, Joh. 3. v. 16. Ex gratia nos de tene-
bris vocavit in admirabile lumen suum,
1. Petr. 2. v. 9. Ex gratia largitur nobis Spi-
ritum Sanctum, qui nos deducit in omnem
veritatem, Joh. 16. v. 13. adjuvat infirmita-
tem nostram Rom. 8. v. 26. ne in tribula-
tionibus desperemus: sed bonam militem-
us militiam, habentes fidem & bonam
conscientiam, 1. Tim. 1. v. 19. Ex gratia quo-
que in virtute sua custodit nos per fidem in
salutem, 1. Petr. 1. v. 5.

Hæc nostra sit confidentia in vita & in
morte, & nunquam confundemur, sed re-
ipsâ experiemur:

Quod hic Deus certissimus,
Spondit in verbo bonus,
Jurans suum per nomen:
Id certius certo fiet,
Qui nos ut angelos beet,
Per Christum Jesum, Amen.

Was uns der ewig gültig Gott/
In seinem Wort versprochen hat/
Geschworn bey seinem Namen:
Das hält und gibt er gewiß für wahr/
Der helff uns zu der Engelschaa/
Durch Jesum Christum Amen.

*Et q in pbo Maximus
promisit nobis Dominus
Per lessem sancti dnm
Promissis certe stabit his:
Qui nos dicitur Angelis,
Per Jesum Christum, Amen.*